



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi**

**Latomus, Jacobus**

**Antverpiae, 1587**

Ad Beatam Virginem Matrem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](#)

Utique pīj numeros omnes implesse parentis,  
     Et merito ex omni parte ferare bonus,  
 Præbe humana quibus doleat natura negatis,  
     Nostraque prouisī corpora pasce cibis.  
 Nos porrò debere tibi permulta fatemur,  
     Quæ faciunt pœnæ vindicis esse reos:  
 Pignoribus sed parce tuis, huiusque remissor  
     Da penitus tristem debiti abesse notam:  
 Si nullo læsi vindictæ ardemus amore,  
     Si veniam, nobis qui nocuere, damus.  
 Nos caro, nos mundus, nos Dēmonis arma maligni  
     Vndique circumstant, difficilisque fuga est:  
 Vincula qui nobis, & mille pericula tendunt,  
     Exercentque animos per genus omne doli.  
 Tu Pater hæc contra, fortes ut stare queamus,  
     Sufficias vires, nec patiare capi.  
 Omnia corporibus nostris inimica repelle,  
     Quæque ferant animis damna, fac esse procul.  
 Denique semper eos, genitor quibus esse tulisti,  
     Cura sit à cunctis asseruisse malis.

## AD BEATAM VIRGINEM MATERM.

**V**irgo parensque Dei salue, præcordia cuius  
     Impleuit celso gratia missa polo.  
 Ille tuo stabilem fixit sub pectore sedem,  
     Cui celum, tellus, seruit, & omne fretum.  
 Felicem ante alias omnis te lingua fatetur,  
     Nec mulier titulum hunc iustius vlla gerit.  
 Quin benedicta tui soboles quoque ventris I E S U S  
     Saluificæ allator C H R I S T V S & author opis.  
 Hunc nobis genitum queso placare labora,  
     O M A R I A illæsæ virginitatis honor.

Sæpe

Sæpe illum stolido recordes lædimus ausu,  
 Tendimus insanas ad mala sæpe manus.  
 Hinc sufferre graues pœnas, & dira meremur  
 Supplicia, erratis si dare digna velit:  
 Sed precibus f' exus posita miserebitur ira,  
 Et veniam lapsis, tu modò posce, dabit.  
 Te siquidem dura non auersabitur aure,  
 Audiet oblatas à genitrice preces.  
 Effice ut exilij post tristia tempora nostri,  
 Quæsitor veniens crimina nulla notet.  
 Ac penitus culpa vacuos, omni'que reatu  
 In sua nos placido numine regna vehat.

## A D E A N D E M H Y M N V S,

*Salve regina.*

**O** Regina piæ bonitatis maxima, Salve,  
 Vita, mel, & nostræ fons & origo spei.  
 Nos te solicito miseri clamore vocamus,  
 Quos patriæ extorres protulit Eua parens.  
 Anxia cum lacrymis ad te suspiria pressi,  
 Tollimus è plenis fletibus hisce locis.  
 Quæso igitur Patrona tuos miserata clientes  
 Respice, ferque oculos ad mala nostra pios.  
 Exiliique huius fac nos post tempus I E S U M  
 Sancti vteri fructum cernere posse tui.  
 O clemens, ô virgo pia, & dulcedine plena,  
 O M A R I A intacti gloria prima chori.

P o s t partum sacra virgo tibi inuiolata remansit  
 Virginitas, damno nec peperisse fuit.  
 Alma Dei genitrix, iras auertere Nati  
 A nobis precibus nitere quæso tui.

V I R G O quæ partu nunquam temerata fuisti,  
 Nos prece apud Natum tende iuuare tuum.

E x